




99

12





pag. 651; II.



Handwritten text in a cursive script, possibly a date or a reference number, located below the stamp. The text is difficult to decipher but seems to include a date like "1721".



ALLEGORIA
CROCODILI ET
ICHNEUMONIS: IN VI-
CTORIS AC REDEMPTORIS DO-
mini nostri IESU CHRISTI ho-
norem declarata,

*Dedicata viris ornatissimis, pietate,
prudentia, longoq̄ rerum usu prestantissi-
mis Dn. Gregorio Ringensan, Dn. Casparo Buttenhaim,
Dn. Iohanni Freunt, c o s s; Nec non Dn. Fabiano Rosen-
krantz, Fautori suo plurimum colendo, totiq̄ Senatui
inclito urbis inclite Torgensis, gratitudinis
declaranda ergo;*

Authore Urbano Thymo F.

Anno Christi Ϡεαυθρῶπυ
c l o l o x c v i i i,

L I P S I Æ

Ex officina typographica Abrahami
Lambergi.

Elegia Dedicatoria.

Magna ferant alij, vobis decora inclita Torga,
Munera, quibus aurum Lydia culta parit.
Ast ego, qui viridis per agro plantaria Pindi,
Mitto Castalids dona profecta iugis.
Carminibus Castalides gaudent, & carmina fundunt,
Hac sunt Pierij splendida dona chori,
Vos modo praclari proceres extendite palmas,
Atque meum lata sumite fronte melos.
Vester amor Phœbi, virtus vestra inclita laude,
Vestraq; Thespiadum cura iuuare procos.
Me (licet incultum) vestris succedere tectis
Impulit, atque istud scribere iussit Epos.
Ecquis RINGENHANE tui fidissime Consul
Nominis in tota nesciat vrbe decus?
Haud tua BUTTENHAIMÉ latet prudentia quenquam,
Qua vera cines cum pietate regis.
Phœbus Apollo tuas nouit notissimus artes
FREVNTI, iusticia maxima cura sacra,
Tu Phœbi fidus fidis es amicus alumnis;
Hinc semper dignum nomen & omen habes.
Quis tibi digna ferat FABIANE encomia laudis
ROSENCRAZIANÆ firma columna domus?
Nam veluti dulces rosa verna expirat odores;
Haud aliter pectus spirat amore tuum,
Spirat amore tuum pectus, quo protegis urbem,
Cunctisq; auxilium praesidiumq; paras.
Ergo precor misera posthac succurrite matri,
Atque illi vestram forte frequenter opem.

Patris

Patris ad exemplum vos quaeso inuante sororem,
Atq; illi vestra protegite usq; manu.
Pro quo semper ero gratus dum sidera cœlum,
Voluet, & egelidas provehet Albis aquas,
Semper ego Iouam noctesq; diesq; precabor,
Ut vestra euentu prosperet acta bono.
VOS posthac superi larga indulgentia cœli
Afflet, & ethereas ritè ministret opes.
Aurea pax nivos lauro velato capillos
Aduolet, & nutu mœnia vestra tegat.
Iusticia atq; pudor pietasq; serena per urbem
Incedant; ciues inter oberret amor.
Nescia dissolui vestras concordia mentes,
Alliget, & Litis conterat arma manu.
Sic urbs vestra sacra lauri viridantis in umbra
Crescet, & alta poli tollet ad astra caput.
Ac olim vobis post fata exhausta supremo
Parta dabit cœlo Serta decora DEVS.
Hac precor eueniant. Vota, euentumq; capeffant,
Surgat, & hinc Studijs aura secunda meis.

V. Th. F.

A

ES



St regio, Aegyptum veteres dixere coloni
Terra ferax frugum, caeloq; exposita sereno,
Hanc mediam Nilus fluuio percurrit ameno,
Et campos nigris passim foecundat arenis.
Hic monstrum horrendum, varioq; informe
Propter aquae ripas vmbrosis degit in antris (colore
Immanis Crocodilus, & aluum piscibus explet.
Hunc nemo valida potis est euincere dextra,
Aut tantum telis regione auertere monstrum.
Obuia quaeq; rapit, trahit atq; horrentibus abdit
Faucibus, & Stomachum mortali sanguine pascit.
Non procul hinc ripas Ichneumon propter easdem
Bestiola exilis specubus sese occultat atris.
Has inter natiua feras discordia semper
Certamenq; viget, nec quis componere nouit.
Ipsa etenim natura parens velut impete facto,
Aduersas illis vires inseruit, & ortu
Primo discordes animos concessit vtrisque.
Hinc inter sese magna vi praelia miscet,
Alternæ, & tantis decernunt viribus ambæ.
At quoniam Ichneumon paruus (nam corpore paruo
Preditus) haud potis est euincere viribus istud
Monstrum horrendum, ingens Crocodilum insueta fu-
Fraudes atq; dolos molitur & arte sagaci (rentem
Insidias hosti struit, & superare laborat.
Ergo se immundis hinc inde volutat arenis,
Atq; luto cunctos obuelat corporis artus.
Tum sese exanimem simulat solitisq; seipsum
Eminus obiectat ripis, studioq; nocendi
Deditus expectat Crocodilum e gurgite Nili
Sponte excedentem, & condentem lumina somno.
Ast vbi se curuo prostrauit littore monstrum,

Et

Et placidam defessa dedit per membra quietem:
Ichneumon tacito figit vestigia gressu,
Et properè aggreditur somno pallente sepultum,
Ac patulis vltro se faucibus abdit, & intus
Arrodit Stomachum, præacutis dentibus exta
Perforat, & lento contundit viscera morfu,
Dum simul ac hostis vitam expiravit in auras,
Ipse cutem peredit, rursus & rediuius in auras
Aethereas redit, atq; dolo lætatur inani.

Musa mihi memora, quid nam Natura sub istis
Robore diuersis, diuersis indole, toto
Corpore diuersis animalibus indicat; & quid
Insita designat discordia; tantane virtus
Bestiolæ, vt tacitæ Crocodilus fraudetruidet?

Tartareum vera Crocodilus imagine Ditem
Arguit. Ille instar Libyci, Mauriue leonis
Orefurit rabido, & nocturnus ouilia Christi
Circundat, miserisq; dolum cum matribus agnis
Molitur, si qua sitientes sanguine fauces
Expleat, & patulam distendat carnibus aluum.
Huic nemo proprijs hominum se opponere pollet
Viribus, aut armis illum spoliare cruentis
Vivalet, atq; suo confusus robore quæq;
Audet, & haud vlli bello insultare veretur.
Obuia quæq; trahit, rapit, & præculcat, & orbi
Exitium toti studijs meditatur iniquis.
Ni Deus omnipotens tandem succurreret vltor,
Inijceret frenos illi, rapidumq; furorem
Comprimeret, longeq; suo prohiberet ouili.

Christum virgineo natum de femine Diuum
Ichneumon notat, & signis demonstrat apertis.
Christus namq; suo dum se spoliauit honore

In terris, faciemq; hominis circumtulit, atq;
Diuinum specie Numen velauit inani;
Cunctis pauper inops, desertus, debilis, exors
Visus in orbe fuit, ceu plenus numine vates
Sic fore prædixit, dio dum carmine cantat:
Vidimus æthereo prognatum ab origine Diuūm;
At nil in toto referebat pectore quicquam
Quod Numen spiraret, & ori afflaret honorem;
Omnes linquebant inopem, vultumq; procacem
Longè auertebant, odijsq; immanibus illum
Urgebant miserum, neq; quicquam tale merentem.

Sed cur mortali voluisti abscondere forma
Christe tuum diuinum & inexuperabile Numen?
Scilicet vt Stygium tali ratione tyrannum
Corriperes subito atq; illum sine more furentem
Exueres armis, Regniq; è sede fugares.

Nam velut Ichneumon vdis vestitus arenis
Extremam simulat mortem, seseq; ferocis
Hostis in aspectum nigri prope littora Nili
Proijcit, haud rictu Crocodili exterritus alto:
Haud aliter Christus mortali indutus amictu
Os humerosq; homini similis, Faciemq; virilem
Vlrò se diris Solymeæ ciuibus vrbis
Obtulit, & ligno figi est perpeffus ab alto.
Quin etiam vita defunctus lumina letho
Condidit, atq; animam tenues efflauit in auras,
Et sic exanimum sese exanguemq; draconi
Tartareo exposuit, cupiens exquirere vires.

At veluti Crocodilus atrox in littore Nili
Sese sternit humi, somnoq; indulget inani
Nil veritus vicinum hostem, mortemq; propinquam;
Haud aliter iam tum cum Christus ab arbore summa

Pen-

Penderet, lueretq; inimici crimina mundi,
Lucifugus vana delusus imagine Pluto
Nil ultra ratus est moliri posse Theandrum
Exanimum, & dulcis spoliatum munere vitæ,
Ergo securus Stygia cum fratribus arce
Ocium agens geminas pariter dormitat in aures,
Nil metuens Numen Christi immortale, nec instans
Flebilis exilij tempus regniq; ruinam.

Ac veluti vastos liquidus sopor irrigat artus
Terribilis Crocodili Ichneumon paruulus astu
Ora subit patula, & se faucibus abdit hiulcis;
Nec non interea perumpit viscera, & aluum
Perforat, & victor tandem rediuius ab hoste
Ætherei æthereas remeat sub luminis auras:
Haud secus in piceum sese demisit auernum
Post obitum Christus, dum se de stirpe receptum
Ferali, passus fæda tellure recondi.

Ast vbi sulphureum est ventum Phlegethontis ad a-
Nubifugus subitò fratres regemq; tremendum (mnem)
Corripit, & grauius plantis innixus vtrisq;
Contundit capita, & faxis illidit acutis.
Exoritur fremitusq; virum, gemitusq; cadentum.
Tartara cuncta tremunt, refugitq; exterritus amnis.
Hinc sedes regis vacuas & inania regna
Diripit, atq; animas horrendo in carcere clausas
Educat secum, fortiq; emittit easdem
Robore. Tum tandem spolijs Phlegethontis onustus
In lucem redit, & superas rediuius in auras
Os effert nitidum, Titan vbi tertius alto
Surgebat cælo, referens opera atq; labores.
Affert dona diu sanctis patribusq; prophetis
Expectata poli, nobis & maxima dona.

O nos

O nos felices nimium, nimiumq; beatas
Felicesq; animas, propter quas Christus agendo
Et patiendo polo ter summo lapsus honorem
Restituit veterem, Stygio suadente dracone
Turpiter amissum prima genitrice, salutis.
O nos felices, o terq; quaterq; beatos.

Salve ergo victor, salve o fortissime victor
Victor io, magnus tibi iam nunc plaudit olympus;
Tellus purpureos spargit Tibi florida flores
Terrigenæq; homines hilari Tibi voce Triumphum
Gratantur, manibus plaudunt, & carmina cantant.
Dum voluet tremulum palantia Sidera cœlum
Dum volucres rapidis transmittent aëra pennis:
Dum flores producet humus, dum flumina pisces:
Semper Honos, Nomenq; tuum, bone Christe, manebūt.

SOLI. VICTORI NOSTRO
IESV CHRISTO SIT LAVS
HONOR ET VICTORIA.







99 A 69 12

ULB Halle
002 721 678

3



sb.

VD 17

Recht o. Konr.







ALLEGORIA
CROCODILI ET
ICHNEUMONIS: IN VI-
CTORIS AC REDEMPTORIS DO-
mini nostri IESU CHRISTI ho-
norem declarata,

*Dedicata viris ornatissimis, pietate,
prudencia, longoq; rerum usu prestantissi-
mis Dn. Gregorio Ringensan, Dn. Casparo Buttenhaim,
Dn. Iohanni Freunt, c o s s; Nec non Dn. Fabiano Rosen-
krantz, Fautori suo plurimum colendo, totiq; Senatui
inclito urbis inclitae Torgensis gratitudinis
declaranda ergo;*

Authore Urbano Thymo F.

Anno Christi Ϡεαυθρῶπϛ
c l o l o x c v l i i i,

L I P S I Æ

Ex officina typographica Abrahami
Lambergi.